



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

An nominatim Denuntiatus in uno loco sit alibi vitandus? §. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

se Ecclesiæ humiliter submittat, & pareat, &c.
 5. Denique, si excommunicatio fuit à Superiore injustè lata in rei veritate, sed justè secundum allegata, & probata, rei que veritas sciatur ab eo, cui Superior committit, ut eam Excommunicationem denuntiet, an hic executor denuntiare valeat, legere poteris apud Doctores citatos à Leandro. ^a

§. II.

An nominatim Denuntiatus in uno loco sit alibi visandus?

1. **H**is breviter explicatis, illud jam nunc quaeramus, quod modo secundo loco proposuimus. An scilicet excommunicatus denuntiatus in uno loco v. g. Napoli, sit hic Patrum, & ubique vitandus? Suppono autem solum in uno loco fuisse denuntiatum. Nam cæterum, quando Episcopus, qui aliquem Excommunicavit, denuntiavitque, requirit alios Episcopos vicinos v. g. ut etiam ipsi eundem denuntient (quam quidem denuntiationem facere hi Episcopi possunt in suis Diocesis sine necessitate recognoscendi processum, & Justitiam sententiæ ab alio Episcopo data, sed illam Justitiam supponendo, nisi fortè injustam fuisse denuntiationem illam, appareat) & ipsi Vicini Episcopi de facto illum alibi, puta in suis Diocesis denuntient, ibidem debet ipsi vitari, dubium ne sit, quia jam etiam ibi denuntiatum est. Porro allatæ quæstioni sequens satisfactio enarratio.

Præmittitur occasio scribendi in utramque partem circa quæstionem in titulo propositam, ubi incidit quæstioncula de Examinatore Synodali per nomen appellativum designato.

2. Vacabat ob Parochi obitum in Diocesi Monteregalensi animarum cura affectum Beneficium, ab Archiepiscopo DD. Joanne Tomisiglia ad Competitorum certamen de more providendum. Promulgatis ergo conductis edictis, dies affuit, quo examen accurrentium expediretur, ad quam expeditionem obeundam, cum ex Examinatoribus Synodalibus tres eligere juxta Trident. deberent, Archiepiscopus me, qui per eos dies *Tamburinus de Sacramentis.*

Collegio Monteregalensi, sanè immeritò, præeram, tanquam unum ex Examinatoribus per nuntium admonuit, ut conditio loco, id est, in Aula ædium Archiepiscopi cum cæteris duobus convenirem. Præsto affui, sed modeste dixi, Quamvis Rector Collegij Montis Regalensis sit in Synodo Examinator Synodalis electus, tamen, quia sub nomine appellativo Rectoris, ibi nominatur, non pauci vero DD. a meritò contendunt, id illegitimè fieri, dixi (inquam) me ab eiusmodi munere examinandi esse omninò subtrahendum.

3. Confirmabam. Concilium enim Tridentinum non obscure suæ mentis esse, significat, à consensu Patrum in Synodo confitentium, non sub nomine appellativo, sed profectò sub nomine proprio Examinatores esse designandos. Quid enim, si Rector, Prior, Canonicus pro futuro tempore existentes, indocti, nec ad examinandum idonei reperiantur? Examinatores (sunt verba Tridentini) in Diocesana Synodo proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Hæc Concilium. Nulla autem ratione satisfacere quis, & approbati legitime, idque ad tam difficile, arduumque munus, valebit, si prorsus ejus doctrina, morum probitas, Ecclesiæ que debita fides ignoretur, ut ignoratur certè futurorum olim successorum apta conditio.

4. At cognita erit (inquies) à Prælati, vel Superioribus, qui eos in illis dignitatibus, sedibusve constituent: unde scilicet Synodus præfens documentum aptitudinis eorum accipere jam satis potest.

Audio. Sed hoc pacto si non cognoscuntur immediatè à Synodo, quam immediatam eorum cognitionem requirere videtur Tridentinum, Præterea à futuris ipsis Superioribus vix aliquando habebitur doctrinæ ratio, simul, & probitatis, similitumque conditionum, quæ pro Examinatoribus requiruntur; siquidem ad gubernandum, vel Canonicatum, simileque dignitates concedendas, diversa prorsus merita considerari solent, ab ijs, quæ in Examinatoribus exiguntur omninò debent.

5. Confirmabam iterum, nam Garsias ex pluribus Rotæ decisionibus probat, designationes has sub nomine Dignitatis, posse quidem comprehendere existentes tempore Synodi in ea dignitate, quippe iam determinatè

a Gars. Castrop. & Doctoris Rotæ mox citans. quibus addo Castrop. I. 2. d. 3. de Benef. p. §. 3 n. 8. Thom. Hurt. res. sol. moral. p. 2. tr. 12. c. 1. n. 67. citans Fullucc. Massobr. Salgãd. Barbofam, dicensque sic servari Romæ Diocesanam p. 11. tr. 6. res. 33. b. Trid. l. 6.

c Gars. asferens Doctores Rotæ p. p. de Benef. c. 2. d. n. 339.



natè coghiti; Successores tamen eorum, cum cogniti nequaquam sint, comprehendi non posse.

6. Cor firmabam tertio. A Concilio Tridentino disponitur, ut singulis annis Examinatores designentur: At, si sufficit eligere Successores in officiis, ad quid tanta sollicitudo singulis designandi? Facile enim possent eligi appellativo nomine, qui jam pro futuro tempore non deficient.

7. Dicit quis, Reprehendi ne ergo de impetitia sunt, si Synodales Patres, qui Rectorem Collegii sub nomine appellativo Examinatorem renuntiarunt? Non equidem reprehendos; quilibet enim sibi sapiat, ut velit; & tamen mihi persuadeo, Rectorem eo tempore existentem, quamvis sub nomine appellativo, fuisse à Patribus illis Synodalibus fortassè designatum, qui probè juxta prædictam Casisæ doctrinam ab ipsis cognitus erat, non vero successorem quemcunque futuro tempore exiturum. Quid, si putarunt doctrinam Petri Ledesmae fuisse universalem pro toto orbe, cum tamen ipse solum docuerit, in Regno Hispaniæ consuetudinem esse receptam sub appellativo nomine hos Examinatores designandi, cujus tamen apud ipsum sit auctoritas: at in nostro Siciliae Regno, at in Monteregaliensi Dicecesi, ne umbra quidem ejusmodi consuetudinis apparet, præter unius ultimæ Synodi designationem, quam sciam, de qua nunc vertitur controversia.

Tu ergo, Amplissime Præsul, ad evitandas saltem lites de illegitima Parochi electione (subjungebam) alium ex Examinatoribus non ambiguis jubeas, oro, pro tua prudentiæ sub-
stituendum.

8. Annuit: sed confestim Vigilantissimus Vir interrogavit, an saltè examini possem interesse.

Respondi, id minime probè beri, modo nequaquam ego suffragium feram, sed trium Examinatorum ratio dumtaxat habeatur, afferique jussi Castropalaum, & Th. Hurt. (eramus enim in loco Bibliothecæ Archiepiscopali contiguo)

qui cum essent allati ostendi Castrop., b abfolurè concedere, eum, qui Examinator Synodalis non est, posse, & examini interesse, & suum suffragium ferre, sed supra trium Examinatorum numerum, Hurtad., c vero probabilius id negare, quia, si aliis à tribus sive respondere, sive satisfacere Examinandi cogentur, fieret ipsis injuria, cum præsertim à Concilio Tridenti-

no pro forma examinis solum requirantur, ad concurrentium aptitudinem explorandam, tres Examinatores, non plures; Hos, inquam, ostendi, sed ostendi insuper à neutro ablegati meram præsentiam alterius, qui Examinator non sit; & quidem merito; id enim, nec formæ examinis substantiali, nec Juri examinatorum obesse potest.

Approbato consilio, clausisque libris, advocatus est tertius Examinator, atque is post breve temporis lapsum cum accessisset, confestim de more, ipso Archiepiscopo præsentem,

9. Et jam duo Candidati tantummodo, coram, steterunt, alter altero senior, sed uterque Doctor Theologus, uterque virtutibus, ut fama erat, ac probis moribus insignis, quorum ætate junior meus olim fuerat in Theologicis auditor. Examini ergo datum est initium, & ne pluribus te, Lector, moleste distineam, adeo bene, docte, erudite, in arduis Theologiæ speculativæ, & moralis quæstionibus propositis, uterque se gessit, ut omnes, qui præsentem aderamus, neutri victoriam, sed utrique gloriam eandem concedendam esse censuerimus: iis ergo recedere tantisper jussis ab Aula, quis anteponeendus alteri esset, coeptum est deliberari. Et si ve ulla hæsitacione eos, & ad amulsum in doctrina, & moribus æquales esse tres Examinatores, quasi uno suffragio pronuntiarunt. Cum autem Concilium Tridentinum præscribat, ut renuntietur per Examinatores iis, qui idonei judicati fuerint, ex his, Episcopus cum eligat, quem cæteris magis idoneum existimaverit, ipse vero Archiepiscopus, juxta, ac censuerunt Examinatores, æqualiter utrumque aptum esse judicaret, hærebat incertus, quid tandem statueret, deberet. Denique fixis per brevem morulam in cogitabundi morem humi oculis, mox, ut erat summa pietate ac Religione præditus, iisdem elevatis ad depictam in tabula opposito parieti affixam imaginem Christi Domini, Prosequamur, inquit, examen, & ex Sinesium consuetudine, aliquid Theologicum utrique conscribendum imponamus, qui quæstionem ingeniosius agitaverit, illi palma esto. Nulla mora: concertantibus iterum ad nostrum confessum accitis, Video, inquit Archiepiscopus, vos pares esse in moribus, virtutibus, sapientiâ: Uno verbo dicam, condignus est uterque Benefic.o: Quoniam vero quis ex vobis dignior, non dum apparuit

a Petr. Ledesma in sum. 2. p. 17. 7 c. 1. consil. 7.

b Castrop. T. 2. d. 3. de Benef. p. 2. §. 4. n. 5. c Th. Hurt. resol. mor. p. 2. r. 12. c. 1. n. 104.

paruit, melior quæstionem Theologicam vobis proponere, ut illam quisque suo Marte separatim conferbat: nam sic, qui in scribendo præcelleret, victoria decorabitur: Vestri tamen utriusque consensu id præstandum volo; nolo enim à vobis novum hoc experimentum absque vestra omnino libera voluntate repositere. Annuerunt statim animosi pugnatores, & ad Seniores ex Examinatoribus conversus Archiepiscopus: Affer, inquit, in medium Pater, moralem aliquam Theologicam quæstionem, quæ, ut horum stylus, & Doctrina enicere facilius possit, diligenti discussione sit digna.

Ad hæc eruditus Examinator non diu moratus sic enodandam difficultatem breviter exposuit: Cum excommunicatus nominatim denunciatus, debeat, ut nemo ignorat, à Fidelium commercio repellere, illud decidi vellem: An denunciatus in uno loco v.g. Neapoli, sit in loco alio v.g. Montis Regalis, immò, & ubique in toto Christianorum Orbe vitandus. Excepto scriptiois argumento, datum unicuique est instrumentum scribendi, calamus, pagina, atramentum, & præterea nihil, iisdemque sua separata cubicula, quorum januæ in aulam, in qua sedebamus, erant sitæ, ad semihoræ Clepsidram, concessa sunt, nobis inrerim per suavissimam familiaritatem de varijs rebus sermonem de more commiscuitibus. Sed jam semihora vix elapsa, conscriptam paginam quisque suam nobiles Scriptores ad Judices attulerunt, quorum alter, quem superius ætate grandiosem esse diximus, sic quæstionem evolebat.

Opini sustinens, nominatim alibi denuntiatum esse hic vitandum, si denuntiatio hic occultè sciatur.

10. Ut proposita quæstio radiciter explicetur, duæ sunt recolendæ Sacrarum Legum dispositiones. Altera habetur in *Cap. Cum non ab homine De sententia Excommunicati nis*. Publicus Excommunicatus (inquit ibi Clemens. III.) vitetur publicè, occultus occultè.

2. Ve notat Avila, 2. de Consi. 2. ca. 6. d. 11. du. 11. Per hæc con-
Altera habetur in illa Celebris Extravagante *Ad vitanda*, per quam Concilium Constantiense, post a Clementem prædictum, concessit Fidelibus, ut ij possent communicare cum omnibus Excommunicatis quantumcunque publicis, Præter Excommunicatos no-

minatim denunciatos, & præter publicos Clerici percussores.

11. Sanè, si hæc Extravagans non accessisset, jam juxta prædictum Clementis III. Capitulum, *Cum non ab homine* proposita quæstio enodata profus fuisset: dicendum enim esset, Excommunicatum alibi, atque ibidem nominatim denunciatum, esse hic publicè vitandum, si publicè hic denuntiatio sciatur, esse autem occultè vitandum, si illa hic sciatur occultè, non verò esse hic vitandum, publicè. Sed quia, ut dictum est, accessit deinde dicta Extravagans Concilij Constant. videndum erit, an hæc derogat illud Capitulum, necne?

12. Affero tanquam probabilius, à prædicta Extravagante illud Capitulum non fuisse derogatum, atque adeò etiam hodiè, Excommunicatum, nominatimque alibi denuntiatum, si hic publicè, denuntiatio sciatur, esse vitandum, tum publicè, tum occultè, sed, si sciatur occultè, esse vitandum occultè, non vero publicè. Ita sustinet Avila a Layman, b Hurradus. c Ratio unica, & satis efficax videtur esse, quia Concilium Constant. concedendo communicationem cum alijs excommunicatis, excipiendo nominatim denunciatos, & publicos Clericorum percussores, solum declaravit, hos esse vitandos, non autem alios. At per hanc solam declarationem non apparet, derogasse Capitulum illud Clementis III. ergo illud erit etiam hodiè ad unguem observandum.

13. Confirmatur, quia statim, ac lex legitime est promulgata, debet ab omnibus observari, si illa sciatur, ergo cum denuntiatio nominatim excommunicati sit veluti lex, per quam indicitur Fidelibus, ut ipsi cum illo non communicent, si illa sciatur, debet omnino observari. Si ergo hic illa jam scitur, licet alibi fuerit facta, hic est observanda; neque enim, qui denuntiat excommunicatus nominatim, denuntiat solum pro una Dicecesi, sed pro toto orbe, quia, ubicunque quis inveniatur, secum affert, tam excommunicationem, tum nominatam denuntiationem, quam propriæ perionæ confixam.

14. Hæc confirmatio probare videtur, etiamsi occultè hic sciatur denuntiatio, debere denunciatum hic vitari, etiam publicè, quia eiusmodi denunciatus semper secum

B a fert

a Avila
de Consi. 2.
p. 6. d. 11.
du. 12. ci
tans Vasq.

b Layman.
li. 19. s. p. 2.
c. 4. nu. 3.

c G Hur.
de excom.
d. 9. n. 28.
citans eundem Vas-
quæ.

fert suam denuntiationem, ac Fideles semper prohibentur Excommunicatum denuntiatum vitare: & certe ita primo aspectu, & ex vi Excommunicationis videtur. Sed Pia mater Ecclesia temperavit in dicto Capit. cum non ab homine, tantum rigorem, ne scilicet publicaretur hic pro nominato Excommunicato is, qui pro tali hic publicè non cognoscitur, & ideo voluit quidem publicum Excommunicatum esse publicè vitandum, sed benignè addidit, occultum, occultè, dumtaxat.

15. Contra hanc meam sententiam duos habeo Doctores unanimes adversus illam, sed inter se non parum dissidentes, Comitol. & Castropol. Comitulus a enim dicit, esse obligationem ejusmodi Excommunicatum nominatum alibi denuntiatum vitandi semper, etiam publicè, tum si denuntiatio sciatur publicè, tum si occultè, quia, inquit, per illam publicam alibi promulgatam denuntiationem amisit Excommunicatus b jus justitiæ ad suam famam. Unde non est, cur, si denuntiationem illam ego occultè sciam, non possim, debeatque illum publicè vitare; quod etiam magis favor ad terrendos alios, dum vident alibi denuntiatum, ubique semper, etiam publicè, à communibus commerciis excludi. Sed nos huic rationi jam modo respondimus, dum diximus, ita quidem esse ex vi Excommunicationis, & denuntiationis: & fateor, ita etiam esse ex vi justitiæ at non ex perfectione Caritatis, quam in illo Capit. Clementis III. voluit, circa hanc materiam, amplecti Pia Mater Ecclesia.

16. Castropalaus e autem, contra, putat, nullam esse obligationem hic vitandi, sive publicè, sive occultè illum, qui alibi fuit publicè denuntiatum, quando hic occultè scitur, sed solum, quando scitur publicè. Ratio est, inquit, quia post Concilium Constantiense nemo est vitandus, si ejus excommunicatio, seu denuntiatio sciatur occultè, sed solum, quando publicè scitur; Concilium enim requirit ad obligationem vitandi excommunicatum, ut publicè denuntiatum sit (publicè inquit) non solum respectu loci, ubi fuit publicè denuntiatum, sed etiam respectu loci, ubi Fideles conveniuntur, quando eum vitare debentur.

17. Verum nos huic rationi modo respondimus, dum diximus, Concilium Constantiense solum concessisse communicationem

cum aliis Excommunicatis, excipiendo nominatum denuntiatum, & publicos percussores, & nullam aliam licentiam addidisse.

18. Atque in his advertisti Doctorem diversa judicia? Convenimus enim omnes, si publicè hic sciatur denuntiatio alibi facta ejusmodi, denuntiatum debere hic publicè repelli: at si hic sciatur occultè, Comitulus contendit, absolute debere etiam, occultè, repelli, Castropalaus absolute docet, tum publicè, tum occultè admitti posse. Nos vero cum Avila limitate dicimus, admitti quidem posse, imò, & debere publicè, occultè autem nec debere, nec posse.

19. Hæc habui. Illustrissime Præsul, quam breviter cætus tempore, librorumque destitutus auxilio ex ingenii mei imbecillitate promere memoriter potui.

His cum plausu, lectis, ea, quæ junior Candidatus attulerat, alta voce legi præceptum est.

Opinio sustinens, alibi Denuntiatum non esse hic, nec publicè, nec occultè vitandum, si hic occultè tantum sciatur Denuntiatum.

20. In hac controversia, quæ mihi proposita fuit, tres sese offerunt sententiæ. Prima (quam sequitur Bonacina a cum Comitol. b) asserit, denuntiatum alibi, v. g. Neapoli, ubique, atque adeo etiam hic Pano: esse vitandum, non publicè solum, verum etiam occultè ab illis, etiam paucissimis, ad quos fama moraliter certa, quamvis occulta, de illa denuntiatione pervenit Ratio hujus sententiæ est, quia per excommunicationem, addita publica denuntiatione, jam amisit excommunicatus jus suæ famæ. Ergo non est excusatio, unde legem prohibentem, ne cum denuntiatum communicem, servare non debeam. Excusatio enim esse poterat, ne illum publicè, vel occultè repellendo, offenderem in fama, at in fama non offendo, quia eam jam ipse amisit, ergo repellere possum, & consequenter servare legem, seu prohibitionem prædictam semper, sive publicè, sive occultè, compellor.

21. Secunda sententia, quam sequitur Layman, e quamque fateor esse communio-rem, distinguit in hunc modum; Facta alibi denuntiatione publicè, si hic publicè ea sciatur, debet ejusmodi denuntiatum publicè, & semper vitari. Si vero ea solum sciatur occultè,

a Comit li. 1 resp. mo. qu. 36. cum Bonac. d. 2. de Cens. q. 2. p. 6 §. 2. n. 48. b Lege De hugo del. lib. 4. n. 72.

c Castrop. de Cens. d. 2 p. 4. n. 9. e probabile putat Dian. p. 5. tr. 9. ref. 134 cum Alph. de Leone de Cens. re. col. 3. n. 148 contendens hanc esse opinionem Vas. quem cum Avila, & Hurta, pro modo citantur.

a Bonac. d. 2. de Cens. p. 6. §. 2. n. 48. b Comit. lib. 1. resp. moral. q. 36

c Laym. lib. 1. tr. 9. p. 2. c. 4. n. 3.

cultè, debet ab iis, qui eam sciunt, occultè vitari, non publicè. Ratio hujus sententiæ est, quia in *Cap. Cum non ab homine. De sententia Excommunicationis*, præcepit Pontifex, ut publicè Excommunicatus, repellatur publicè à Fidelium convictu, occultus vero, occultè. Ergo cum habeamus hanc claram Juris dispositionem, ea est omninò servanda. Neque obstat, (inquiunt hujus sententiæ sectatores) Decretum Concilii Constantiensis, quod à Mart. Quinto fuit confirmatum, concedens Fidelibus communicationem cum Excommunicatis toleratis. Non obstat, (inquiunt) quia idem Decretum excipit nominatim denunciatos, publicosque Clerici percussores: Atis, de quo loquimur, iam nominatim denunciatus est.

Castrop. d. 1. m. 1. c. 1.

22. Tertia sententia absolute docet, ejusmodi nominatim denunciatum alibi, v.g. Neapoli, posse admitti hic ad communionem Fidelium, tum publicè tum occultè, si denuntiatio fiat occultè, & non posse, solum, quando fitur publicè. Ratio est, quia obligatio vitandi, etiam secreto, excommunicatum, non oritur post Concilium Constantiense ex Excommunicatione, sed ex illius notoria denuntiatione, ergo, si, hic non est denuntiatio notoria, sed occulta, nullum hic obligationem pariet illum excommunicatum vitandi, ac solum pariet, si sit notoria, & publica.

Hæc tres sententiæ probabilitatis metam attingunt, tum propter rationes, quibus innituntur non contemnendas, tum ob gravitatem Doctorum, à quibus defenduntur. Mihi tamen probabilior sit hæc tertia, quam Castropalaus, & alijque sequuntur.

Castrop. d. 1. c. 1.

23. Confirmo autem sic Primò, quia hæc conformior est Concilio Constantiensi volenti, Fidelibus timoratis benignè favere.

Castrop. d. 1. c. 1.

24. Confirmo Secundo, quia in ipsis verbis Concilij sensus non obscure indicatur, Nemo (sunt verba Concilij) *teneatur abstinere à communicatione cum Excommunicato nisi sententia seu Excommunicatio fuerit à iudice promulgata, vel denunciata specialiter, & expresse.* Cum enim illud (*Publicata*) duplex sensum habere possit. Primò absolute, id est, nisi fuerit immediate à iudice publicata in loco tandem aliquo. Secundo, respectivè, id est, nisi comparatione illius loci ubi exhibenda est evitatio, publicata, mediante fama, vel aliquo simili modo, in illo loco fuerit, Cum, inquam, duplex is sensus ha-

beri possit, atque uterque aptari valeat Decreti verbis; æquius erit, eligere hunc posteriorem sensum Fidelibus faventem, quibus favere principalis intentio Concilij in eo Decreto fuit. Sanè ex sententia Vasquez, a leges, quæ obscuram habent interpretationem, possunt bene, etiam ad praxim, intelligi secundum sensum, qui probabiliter attribui potest illi legi. At negari non potest, posteriorem hunc sensum attribui probabiliter posse verbis prædicti Concilij, ergo, &c.

a Vasq. de Euch. d. 2. c. 6. §. 1. c. 43.

25. Confirmo Tertio, ex paritate cum notorio Clerici percussore, quam sic explèo. Avila, b qui tamen nobis in prædictis est contrarius, probabile judicat, percussorem Clerici notorium in una Civitate v. g. Neapoli, & in alia v. g. hic Panormi occultum, non esse hic vitandum, nec publicè, nec occultè. Et ratio est, quia ex Durando, & Paludano, quando quis est publicè Excommunicatus in uno loco, non debet censeri publicè Excommunicatus in alio. Id, quod probat Avila, Primò, quia post Constantiense, ut percussorem hunc teneat vitare, requiritur, quod sit notorius percussor, sed hic ubi occultè fitur, non est notorius percussor, ergo, &c.

b Avil. de Cen. 2. p. c. 6. d. 1. d. 42.

Secundò, quia hæc supponitur esse notorietas facti. Ergo, ubi factum, id est, percussio est occulta, non poterit dici notoria percussio, & consequenter, nec ille dici notorius percussor, atque adeo, nec vitandus. Quare, ut sit vitandus debet fama publica constare, illum percussisse Clericum, & item notoriè percussisse.

c Leand. d. 15. de Excomm. q. 58.

26. Hæc ex Avila. Ex quibus sic colligo Concilium Constantiense in percussore requirit notorietatem facti, ad obligandum Fideles, ut illum repellant; unde Avila probabile putat, percussorem alibi publicum, sed hic occultum, non esse hic, nec publicè, nec occultè repellendum, ergo valde verosimile est, ut idem Concilium, etiam in denunciato, requirat hic publicitatem denuntiationis, ut hic sit repellendus. Probatur consequentia, quia æqualiter Concilium statuere videtur de utroque casu, cum æque velit à Fidelibus occasionem tollere scrupulorum.

27. Confirmo Quarto, inducendo alio modo paritatem eandem ductam à percussore prædicto. Nam post dictum Concilium

lium non tenor vitare percussorem Clerici, nisi, quando nulla potest ejusmodi delictum tergiversatione coelari, seu excusari, ergo valde conforme dicto Concilio erit, si idem dicamus de ejusmodi alibi denunciato, hic enim aliqua tandem ratione, seu probabilitate potest excusari. Et sane nonnulli Doctores tenent, legem etiam Pontificiam, quamvis Romæ publicatam, non obligare in aliis provincijs, vel Dioccesibus, nisi ibi illa publicetur: quæ opinio, quando in constitutionibus Pontificiis non additur clausula; *Us publicata Roma intelligatur in omnibus locis promulgata*,

a *Farin. fragr. p. 1. V. Constitutio nu. 659. Sotus. Navar. Abbas. Medina apud Castrop. To. r. tr. 3. d. 1. p. 12. n. 1. b. Castrop. l. c. Azor. p. 1. li. 5. c. 3. q. 3. circa mediu, aliq. multi.*

c *Leandr. d. 15. de Excomm. q. 56.*

d *C. C. no ab hom. de sens. Excomm.*

satis probabilis ab aliquibus a existimatur; tamen si fatear à Castropal. b & ab alijs improbabilem existimari. Ab ijs ergo sustententibus, eam sententiam esse probabilem, dici poterit, in casu nostro occultum hic, quamvis alibi denunciatum, excusari, ut non sit hic vitandus, quia ejus denuntiatio, quæ æquivalet legi, non dum est hic publicata; publicetur ergo illa per Judicis sententiam, vel immediatè ab ipso, suisve Ministris, vel certè, ut dictum est, ab ipsa fama, vel alio modo, & tunc sine dubitatione, ex obligatione erit ille vitandus. Adde, posse etiam excusari ab Auditoribus supra allatis, qui sententiam nostram hanc tertiam dilentè sequuntur.

28. Confirmo Quintò, quia excommunicatus quomodocunque vitandus, ubi est occultus, est innocens, ergo habet jus petendi quamcunque rem externam, & consequenter nemo tenebitur illam ei denegare, adeoque nec tenebitur etiam in occulto illum vitare. Ita Leander c alios citans.

Ad Rationes adversariorum facilè Respondemus: nam ad rationem primæ sententiæ inductam à diffamatione, concedo, diffamantem hic eos, quorum famam alibi maculata est, non peccare contra justitiam, sed, tacendo interim, an tunc contra caritatem peccetur, dicimus, piè credendum esse, Concilium Constantiense voluisse adhærere perfectioni caritatis, quæ Fideles promovet ad contegenda, quantum ex nobis fieri potest, proximorum delicta, etiam alias publica, juxta S. Pauli pronuntiatum. Caritas operit multitudinem peccatorum,

29. Ad rationem secundæ sententiæ dicentis, debere servari jus d disponens, ut publicus Excomm. publicè vitetur; occultus, occultè, jam patet ex dictis responsio

manifesta, Hujus enim legis dispositio satis probabiliter huminata, & mitigata fuit à Concilio Constantiensi; ut dictum est.

Hæc pro angustia temporis, quo propositam difficultatem ex temporaneo stylo percurrere jussus sum, minus erudite composita, boni consulere, digneris, Antistes amplissime.

Concertationis synopsis.

31. Hactenus Dissertatio Theologi junioris, & Auditoris olim mei, nam fortasse, quia mei, mihi erudiior visa est, animoque infudit gratius. Nec tamen minus doctam censui Senioris communiori sententiæ innixam disputationem, (nam censo cum Leandro a utramque opinionem esse probabilem) & nisi Junioris urbanitas literam diremisset, incerti adhuc, cuinam Beneficium concedendum esset, ego & Examinatorum consensus ambigeremus. Nodus ergo Fabulæ sic dissolutus est.

32. Ubi lecta est utriusque conscriptio, & nutibus, plausibusque, ut videbatur, æquè probata, antequam è loco concertationis discederent, ut iis absentibus, liberiora current suffragia, Theologus Junior, se aliquid velle in medium afferre, significavit, atque annuente Antistite, sic exorsus est.

Illustrissime Præsul, absoluto jam examine, ad quod accedere, validæ me rationes non moverunt modo, sed coegerunt, eoque à me (quod summo Deo immortales sint gratiæ) ut ex humanissima horum omnium approbatione conjicio, non infeliciter exacto, oro dominationem vestram, ut Beneficium, de quo est contentio, per familiarium huic meo concertatori, quem ab infantia semper sum veneratus, me meo juri, quodcunque illud sit, cedente, liberrimè concedat. Ego Junior, hic ætate Senior: Ego patrimonium aliquantulo locupletius possideo, hic aliquantò tenuius. Ego, ut cætera omittam, experientia ipso minor, longè major ipse. Vnum mihi satis erit, superque, si amplissima Dominatio vestra mei non immemor, primo vacante non dissimili Beneficio, illud præstet, quod ejusdem Dominationis vestræ prudentia, atque humanitas gerendum esse, dictaverit.

O verè nobilem animum (erat enim, & sanguinis genere Præclarus) exclamavit,

his

his auditis, Archiepiscopus, & Conferatur (inquit) Parochiæ ministerium amico, sed ne tibi sola spes, quæ fallax esse consuevit, ad blandiatur, quandoquidem universi juris mei Vicarium propediem Romam legaturus sum, te nunc in ejus, muneris locum substituo, optata nostra, interim, dum ille redit, promovebit Deus, Plausum dedimus adhuc, quorquor ibi aderamus omnes; Ille ergo Beneficio auctus, hic novo munere decoratus, cum gratias bono Antifisti egissent, læti discessere, Examinatorumque confessus, felici omnia, dissolutus est.

§. III.

Quid nam præstat certitudinem moralem, quod quis sit excommunicatus Vitandus, vel Denuntiatus?

1. Ex omnium sententia ad obligandos Fideles, ut excommunicatum à sua communicatione repellant, requiritur certitudo moralis, quod quis sit excommunicatus vitandus, hoc est, quod sit denunciatus publicè, vel publicus percussor Clerici, & quod non fuerit absolutus. Hæc ergo in præsentia sunt aliquanto distinctius explicanda.

2. Dico Primo, si sit probabile, aliquem esse excommunicatum Vitandum, & item probabile non esse, posse à te illum vitari, & posse non vitari, quia potes alterutram ex his probabilitatibus amplecti. Quod si sit probabile, illum esse excommunicatum Vitandum, sed nulla probabilitas appareat, illum talem non esse, vitari certè is à te debet, quia in hac materia, hæc dicitur, & est certitudo moralis.

3. Dico tamen Secundo, ad expellendum, excommunicatum à Judicio, concludenter esse probandam excommunicationem, & denuntiationem, nec satis esse probabilem, seu verisimilem, ita enim deciditur *Cap. 1. de Except. in 6.*

4. Dico Tertio. Quid, si, facta morali diligentia (quæ omnino facienda est) remaneat negativè dubium, An, Primo, quis sit Excommunicatus. An, Secundo, sit Denuntiatus. An, Tertio, sit ab excommunicatione vitanda absolutus?

5. Respondeo, in Primo, & Secundo casu

non obligaris à illum vitare, quia possidet tua libertas. Excipit Suarez, b alique, nisi agatur de administratione, vel receptione Sacramentorum, de qua te nos & alibi. In Tertio, obligaris, quia tunc possidet, ut supponis, excommunicatio vitanda. Absolutio autem est dubia.

6. Dico Quarto. Uudenam haberi possit prædicta certitudo moralis, quod quis sit Excommunicatus, Denuntiatus nominatim?

Respondeo. Habetur Primo, à fama publica, quæ sit à viis fide dignis orta. Secundo, à Testimonio duorum, vel trium fide dignorum asserentium, hunc esse denunciatum. Tertio, à Testimonio Parochi ostensis literis excommunicationis, & denuntiationis, secus, si is solum voce testaretur: quia uni Testi, quamvis digno non teneor credere, quamvis possim. Addo, uni Testi, licet digno, non esse Fidem habendam, quando agitur de gravi alterius præjudicio.

7. Quæ dicta sunt proportionaliter applica ad certitudinem, quæ requiritur, ut Percussor publicus Clerici à te, qui ejusmodi percussioni non adfuit, vitandus sit.

8. Dico Quinto, unde nam habeatur similis certitudo, quod quis licet fuerit excommunicatus Vitandus, nunc tamen sit absolutus?

9. Respondeo, ex similibus Testimoniis, quæ jam modo indicavimus, Quare moralem certitudinem Absolutionis præstabit tibi, Primo, eadem fama publica, Secundo, idem Testimonium duorum, vel trium, imo hic sufficit Testimonium unius fide digni; jam enim dixi uni fide digno me posse fidem habere, multo magis in casu, de quo loquimur, in quo agitur de favore. Tertio, dictum ipsius excommunicati, si aliàs, spectata conditione personæ, & negotii, prudenter ipsi credi potest. Quarto, longum tempus, ipsumque, cum sit timorata conscientia, se, ut non excommunicatum gerere.

10. Dico denique sexto, Quid si certo sciam ex tua confessione Sacramentali, te esse excommunicatum? possumne tunc, vel debeo te vitare?

Respondeo: d Quamvis, si à te extra Confessionem sciam, vitandum te esse, debeam te vitare, quia tuum Testimonium facit mihi moraliter certam tuam excommunicationem; tamen, si id sciam in tua confessione,

a *Lege quæ in hanc re dixi lib. 1. in Decal. c.*

3. §. 7. V. *Censura.*

b *Suar. L. 7. Ana, Avil. apud Castropal. l. c. n. 25.*

c *Lib. 1. Decal. c. 3. §.*

4. n. 20.

d *Suar. Avil. Bonac. Delm.*

go, alique cit à Lean. de Pen. 17.

5. d. 10. g.

12.

confessio.